



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

GALLINA. 8.
IN HONOREM IL- 7
LUSTRIVM ET GENE-
ROSORVM PRINCIPVM AC
DOMINORVM, D. GEORGII ERNESTI ET
D. POPPONIS, FRATRVM, DOMINORVM
AC COMITVM IN HENNENBERG,
DOMINORVM SVORVM
CLEMENTISSI-
MORVM.

SCRIPTA
A
VALENTINO SCHONERO
ECCLESIAE SMALCAL-
DENSIS DIACONO.



SMALCHALDIAE MICHAEL
SCHMUCK IMPRIMEBAT,
ANNO M. D. LXXII.

EPIGRAMMA

Ad clarissimos, pietate, eruditione & prudentia præstantes viros, D. Ortholphum Maroldum, medicum, M. Sebastianum Glasserum, Cancellarium, & Antonium Stytzium, Quæstorem, &c. patronos & amicos suos colendos.

GALLINAM mea Musa, uiri uirtute celebres,
Ad gelidas cecinit Smalcalis amnis aquas.
Sub lare priuato sed sueta latere, ueretur
Conspicuum illustris limen adire domus.
Sæpe quidem dixi, uanum deponere timorem,
Vade, patet sacris uersibus illa domus.
Non tamen accedit, sed uos, ut cernitis ipsi,
Patronos, uestro freta fauore, cupit.
Hanc igitur solita pietate iuuate, canentem
Humani CHRISTVM spemq; caputq; gregis
Proq; patrum patriæ pia uota salute ferentem,
Ex imo cordis uota profecta sinu.
Istius officij præconia nostra manebunt,
Donec in hoc aliquis corpore sensus erit.

Valent. Schon. Smal.



GALLINA.

ANte alias mihi nigra placet GALLINA uolucres.
Nobile gallinae nomen ut omen amo.
Gallinae matris se pingit imagine CHRISTVS,
Nosq; ad se pullos allicit ore suos.
Illa super uiridi consistens monte, uerendum
Principibus patriae nomen habere dedit.
Iunctaq; Caesarea uolucris feliciter illa
In clypeis horum conspiciunda patet.
Gallinam ualles resonant, siluaeq; resultant,
Gallinam numeris concine Musa tuis.
Progeniem gallina suam, dum debilis aetas,
Ardenter reliquas diligit inter aues.
Pone subit, quocunq; loco uestigia ponunt,
Et regit imbellem duxq; comesq; gregem.
Nullibi fert gressus, soboles nisi cara sequatur,
Nullibi consistit, ni trahat ista moram.
Praemanditq; cibum sumpturae sedula proli,
Dumq; cibum minuit, concinit ore simul:
Concentuq; ciet dispersos undiq; pullos,
Saepaq; praemansas ponit in ora dapes.
Quem natura dedit, mutat gallina canorem
Mater, & arguta debile uoce sonat:
Debile uoce sonat, sonat & miserabile quiddam,
Totaq; mutatur prolis amore suae.
Et crebro glocidans totam regit ore cateruam,
Haec matrem circum flebilis ore pipit.
Disperdit genitrix alas, plumasq; remittit,
Et fouet implumem subter, ut oua, gregem.
Cernitur at quoties agitare per aera gyros
Miluius, accipiter siue timendus adest.
Crudeles miseris prodit clamoribus hostes,
Approperat matri garrula turba suae.
Illa suo pavidum sub corpore colligit agmen,
Vnguibus ac rostro pro grege seq; parat.
Certa mori, si non uideat desistere pugnae
Accipitrem, tanto flagrat amore gregis.

A ij Matero

Maternisq; latet pullus quicumq; sub alis,
Ille necaturo tutus ab hoste latet.
Longius à fidis sin quis discesserit umbris,
Sæpè fit accipitri præda cruenta truci.
Tum uerò genitrix singultibus æthera complet,
Fletq; sui miserè tristia damna gregis.
His gallina notis, quis enim numerauerit omnes,
Se docet affectum matris habere bonæ.
Quàm benè gallinæ se pingit imagine CHRISTVS,
Quàm benè nos pulli dicimur esse sui.
Nil erat Adamo, nil Eua pulchrius usquam,
Conditor hoc mundi cum fabricasset opus.
Mens sapiens illis, cor purum, recta uoluntas,
Carus uterq; DEO, dulcis imago DEI.
Sic paradisiaco tota cum prole sub horto
Vixisset, mundi letus uterq; bonis.
Donec, spirituum sarta generando ruina,
Mutassent uitam cum meliore suam.
E terrisq; DEI superas migrasset in arces,
Ipso, gens hominum, perfruitura DEO.
Vidit & inuidit Stygiæ rex Miluius aulæ,
Qui perijt, nos ut perderet arte sua.
Nec mora, se tollit metuendis unguibus Orco,
Mille dolos uersans pectore, mille neces,
Auellitq; DEO technis, nil tale timentem
Primum cum tota posteritate patrem.
Deceptus uiolat nulli uiolabile pomum,
Mors morsum sequitur, uita beata fugit.
Inspiciens mens est, cor prauum, auersa uoluntas,
Mancipium Sathanae, laruaq; tristis homo.
Hunc iam iam fuerat uastam mersurus in aluum
Orcus, & æternis obruiturus aquis.
Ni CHRISTVS, toto miseratus corde, misello,
Quam solus poterat ferre, tulisset opem.
Ille patri supplex, meritam prece mitigat iram,
Pro culpa precium seq; dat ille patri.
Exitium Sathanae, lethoq; Stygiq; minatur,
Ast homini certum nunciat auxilium.

Contereb

Conteret Anguineum nascendus uirgine regnum,
Hoc ita decreuit motus amore DEVS.
Talibus Adamum solatur, at ille reuixit,
Et gratus tanta pro bonitate fuit.
Sic CHRISTVS prima nascentis origine mundi,
Gallinæ cœpit matris obire uicem.
Grex Adamus erat cum coniuge, postmodò natus,
Inde nepos, omnis deniq; posteritas.
In uerbo Christi qui spem posuere salutis,
Quod tulit è patrio, patris imago, sinu.
Ille sui tandem compleuit debita uoti,
Verus ab illæsa uirgine natus homo.
Immeritaq; suum placauit morte parentem,
Pro culpa ueteris uictima cæsus Adæ.
Et Sathana uictor crudeles contudit ungues,
Fregit & horrendæ spicula dira necis.
Et nos contritis excussit faucibus Orci,
Funditus & Stygiæ diruit antra domus.
Inde triumphanti similis conscendit in altum,
Ut patris ad dextram regnet honore pari.
Nunc etiam toto sibi colligit agmen in orbe,
Nosq; ad se pullos congregat ore suos.
In meritisq; suis iubet omnes credere uitam,
Et sibi fidentes optima mater amat.
Si propriæ sobolis ueniant obliuia matri,
Oblitus nostri non tamen esse potest.
Nobiscumq; dies, dum uiuimus, ille per omnes
Extremum mundi tempus adusq; manet.
Per mare si uia sit nobis tentanda, per ignem,
Ille subit medijs duxq; comesq; malis.
Præmanditq; suam facunda per ora docentum
Doctrinam pullis pabula grata suis.
Vox Euangelij nobis alimenta ministrat,
In similem Christo crescimus unde uirum.
Nosq; DEI in nobis ut restituatur imago,
Viuisco renouat Spiritus igne sacer.
Ille nouo nostras illustrat lumine mentes,
Et nostrum accendit pectus amore nouo.

Ille uoluntatem trahit ad meliora, facitq;
Ut uetus in nobis immoriatur homo.
Non tamen ante DEVM facit hæc renouatio iustos,
Sola fides Christi sanguine nixa beat.
Tota DEI siquidem non instauratur imago
In nobis, isto donec in orbe sumus.
Ponere sub terram corpus nos ante necesse est,
In cinerem ut redeat quod cinis ante fuit.
Mundi quando triplex opus ultima flamma resoluet,
Tunc homo surget humo totus imago DEI.
Interea in sese CHRISTVS sperare salutem,
Sub plumisq; suis nos habitare iubet.
O nimium felix, Christi quicumq; latebram
Incolit, & fido quem fouet ipse sinu.
Non timet ille DEI, licet orbis corruat, iram,
In Christo placidum se scit habere patrem.
Non metuit, Christi conspersus sanguine, culpam,
Illius omne luit gutta uel una nefas.
Nil ualet hunc contra seu Dæmon siue tyrannus,
Nil ualet infernæ uis animosa domus.
Namq; tegit Christus pennis, alisq; tuetur,
Et pulli spes est præsidiumq; sui.
Quis non felicem uocet? ô quater ille beatus,
Sub plumis Christi qui latet usq; sui.
At si quis tutas alarum despicit umbras,
Præsidioq; caret Christe benigne tuo.
Hunc rapit instabilem uel quilibet auis error,
Consilij, nec adest, qui ferat, ullus, opem.
Hunc intus miserè mens prauis conscia torquet,
Offensi torret de super ira DEI.
Ad latus omne Sathan terret rapidissimus hostis,
Territat & subter uasta uorago Stygis.
O quater infelix, Christum si temnere pergit,
Aeternum stygijs mergat oportet aquis.
Hic dolor est Christo perpeffo uulnere maior,
Quando uidet hominem sponte perire sua.
Ergo agite ad matrem pulli concurrite CHRISTVM,
Omnis in hoc spes est, hoc sine nulla salus.

Sed

Sed tibi pro tanto quas dicam munere grates,
 Quod nos materna, CHRISTE, tueris ope
 Semper in his terris sanctos tibi collige cætus,
 Hos tua perpetuum uox regat, ala tegat,
 Terrarumq; fove Dominos, qui, ne tua cesset
 Gloria, sollicita religione cauent.
 Da precor ERNESTVS possit reualescere princeps,
 In rigidos abeat febris anhela Gctas,
 Impleat aut superet patris feliciter annos,
 Patria quo felix sospite semper erit.
 Sit POPPO princeps cum principe fratre superstes,
 Carus uterq; DEO, carus uterq; suis.
 Quàm bene gallinam clypeo dat uterq; uidendam,
 Quàm bene gallinæ nomine nomen habet.
 Qualis enim pullis mater gallina pusillis,
 Talis uterq; suis in ditione sua.
 Nemo DEI magis est metuens, & amantior equi,
 Nemo magis populum curat amatq; suum.
 HENNenbergiadum pietas est tuta sub alis,
 Excolit hæc urbes, oppida, rura, casas.
 HENNenbergiadum floret pax alma sub alis,
 Nutrit pax homines, omnia pace nitent.
 HENNenbergiadum iusti stat cura sub alis,
 Ut tutela bono sit sua, pena malo.
 HENNenbergiadum prisca duo lumina gentis
 CHRISTE fac ut uigeant se reparentq; senes,
 Omnia letisono resonabunt undiq; plausu,
 Si dederis dictas pondus habere preces.
 Ipse etiam leto testabor gaudia uersu,
 Et memori laudes eloquar ore suas.

FINIS.

Et non pro tanto quod...
Ego non...
Semper in...
Hoc...
Terminatio...
Gloria...
Da...
In...
Implet...
T...
Sic...
Cum...
Quam...
O...
Quia...
F...
M...
T...
H...
B...
D...
E...
C...
O...
S...
E...

FINIS



№ 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 /

V B 17

M





B.I.G.

Farbkarte #13

GALLINA.
IN HONOREM IL-
LUSTRIVM ET GENE-
ROSORVM PRINCIPVM AC
DOMINORVM, D. GEORGII ERNESTI ET
D. POPPONIS, FRATRVM, DOMINORVM
AC COMITVM IN HENNENBERG,
DOMINORVM SVORVM
CLEMENTISSI-
MORVM.

8.
7

SCRIPTA
A
VALENTINO SCHONERO
ECCLESIAE SMALCAL-
DENSIS DIAcono.



SMALCHALDIAE MICHAEL
SCHMVCK IMPRIMEBAT,
ANNO M. D. LXXII,

